

tur dies Saturni, sequenti die prima hora dominetur planeta ordine retrogrado sequens, duobus intermissis, nempe Sol, a quo denominatur dies Solis. Nam si prima hora dominatur Saturnus, secunda dominabitur Iuppiter, 3 Mars, 4 Sol, 5 Venus, 6 Mercurius, 7 Luna, 8 Saturnus, 9 Iuppiter, 10 Mars, 11 Sol, 12 Venus, 13 Mercurius, 14 Luna, 15 Saturnus, 16 Iuppiter, 17 Mars, 18 Sol, 19 Venus, 20 Mercurius, 21 Luna, 22 Saturnus, 23 Iuppiter, 24 Mars; Deinde prima hora diei sequētis Solis, atq; ita deinceps. Ex quo patet, cur nō denominentur dies secundum ordinem planetarum immediate, sed semper secundum ordinem retrogradum, duobus intermissis, quia nimirum hoc ordine præsent horis diei, qui quidem ordo dierum talis minime esset, nisi planetæ eo ordine locarentur. Hac de re extāt duo carmina, ut sciatur, quibus horis diei quilibet planeta dommetur.

Cynthia, Mercurius, Venus, & Sol, Mars, Ioue, Satur,  
Ordine retrogrado sibi quivis vendicat horam.

Constat igitur ex omnibus ijs, quæ diximus, ordinem a nostro auctore præscriptū inter planetas esse verum, & magis conformē Astronomis peritis, alios autem minime. Explodēda ergo est opinio Metrodori & Cratis, qui Solem ac Lunam ponebant supremos planetarum: Reijcienda quoq; est opinio Democriti, qui Mercurium Sole faciebat superiore: Sententia item Alpetragij, qui Venerem putabat Sole altiore, nullius est momenti: Opinio demiq; Platonis, & Aristotelis valeat, qui Solem ac Lunam infimo in loco collocabant.

VERVM obijciunt nonnulli; Solem nunquam eclipsim pati a Mercurio ac Venere, quare nullo modo Solem supra illos statuendum esse; Alias enim interdum ab illis occultaretur, sicut videmus ipsum occultari a Luna, quoniam supra ipsum collocatur. Attamen hæc obiectio nullius est momenti. Ut enim ait Ptolemæus Diēt. 9. cap. 1 & Ioan. de Regiom. lib. 9. propos 1. possunt duo planetæ coniungi, id est, esse in eodem gradu Zodiaci, ita ut linea recta exiens ab oculo, transiensq; per centrū vnius, minime per centrum alterius transeat, quod tamen requiritur ad eclipsim; Hinc enim fit, ut videamus sæpissime Lunam coniunctam cum Sole eum non occultare. Præterea secundum Albategnium & Tebith, & alios Astronomos, diameter visualis Solis ad diametrum visivalem Veneris (sunt autem visuales diametri illorum circulorum